



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Cur venit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Tenebrae sunt malae

§. 2. Tenebras vocari homines non est dubium, ut lux est Christus. Luci venienti magno se molimine tenebrae opposuerunt. Hilar. lib. de Trinit. Creatorem enim suum Deum ex Deo dicitur: verbum Deum, & apud Deum in principio esse audit: mundi lumen in mundo manens, & a mundo non recognitum intelligit. Venientem quoque in sua, a suis non receptum. Tenebras autem vocari ipsos peccatores in scripturis videri potest.

VERSVS 6.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.

QUESTIO I.

Quo modo missus Ioannes?

§. 1. Graecus textus habet: ἐγὼ ἦν ἀγγελος ἁπὸ τοῦ Θεοῦ, fuit, vel factus est homo missus a Deo, & in Syro ܐܢܘܢܐ ܕܢܘܨܚܐ ܒܐܘܢܐ ܒܐܪܢܐܫܐܐܘܬܐܐܘܪ, fuit filius hominis qui missus fuit, quia igitur non dixit ἐγὼ ἀγγελος ἦν, fuit missus: sed proprie factus est missus. Variæ interpretationes ortæ sunt. Latini plerique coniungunt fuit cum missus: id non fecit Syrus, & fortè nec Græca lingua proprietati convenire videri posset. Itaque doctiores sic interpretantur. ἐγὼ ἦν ἀγγελος, exiit homo, seu natus est homo, qui missus est a Deo. Ex vtero enim matris Ioannes fuit Nazareus, segregatus, ut esset præcursor Domini. Chrysostomus tamen homil. 5. in Ioannem, ἐγὼ ἦν ἀγγελος ait non esse tantum ad esse, sed ipsius Apollolatus esse significativum. Fuit missus a Deo, pro missus est. ἐγὼ ἦν ἀγγελος, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἦν. Debuit autem, cum solem venturum denunciaret, etiam de præcunte Lucifero mentionem inferre. Lucem enim patefactam, & mundo ostensam prædicat, quæ ante apud Patrem erat. Cum autem ante lux promissa seipsam exhiberet, a Ioanne demonstrata est.

Ioannes non missus.

Ioannes non est Angelus.

Ioannis testimonium authenticum.

Opus auctoritate divina.

§. 2. Origenes ex Malach. 3. Angelum fuisse coniecit. Et si missus est, alio loco ex loco missus est. Hoc tamen fœvolum est, ad parandam viam Domini missus est, cum ante desertum incoluisset. Nec de loco magis vnde venit, quam de cæteris, aut Prophetis, aut Apostolis querendum est. Quod si Angelus fuisset, non vocaretur homo, nec filius Zachariæ. Quod vero ad nazarias, de animabus ante in cælo creatis attingit, huc non pertinet. Homo enim missus est, non anima duntaxat.

§. 3. Ioannis testimonium, velut maximi Prophetæ, & fide dignissimi producit. Hoc enim indicant verba, cum dicit: non erat ille lux. Si enim ipsum admirati Messiam, & regem Israelis, ex magnitudine virtutum exultabant, & id dicenti credituri videbantur, multo magis de Christo testificant. Postquam, inquit Theophylactus, dictum est nobis de subsistentiâ verbi Dei ante sæcula: quia & de nova natione verbi dicitur: sermonem de præcursore inseruit. Et quis alius, quam Ioannes præcursor haberes sermonem de sua natiuitate, qui præcurrit & ante natiuitatem Domini.

§. 4. Missus dicitur a Deo, ut auctoritas illi diuinitus data significetur: non enim humano more venit. Nunc tenendum est, inquit Caluinus, quod de Ioanne prædicatur, in omnibus Ecclesiæ doctoribus requiri, ut a Deo vocati sint: Ne alibi quam in solo Deo fundata sit docendi auctoritas. rectè ille in caput suum scripturam isto loco interpretatur. Quis enim Caluinum, quis Zuinglium vocavit? Si a Deo solo se missum profiteatur, vocationis signa edat, oracula pandat, alioqui non est docendi auctoritas diuina. Ita Theophylactus. Diuis igitur de præcursore Euangel. sit, quod fuit ho-

mo missus a Deo, hoc est, in fuis a Deo: Pseudopropheta enim non a Deo missus erant. Cæterum cum audieris, quod missus fuerit a Deo, nihil privatam vel humanum dicere potes sed diuina omnia. Et idcirco etiam Angelus dicitur. Angeli enim virtus est, nihil proprium di e. Item cum Angelum audieris, ne potes quod nati a sit Angelus, vel ex cælo descendit: sed propter opus & ministerium vocatur Angelus. Quia enim ministravit prædicationi, & prænunciavit Domini, eius gratia dicitur est Angelus.

§. 5. Irenæus libro 3. aduersus hæreses c. 11. Ioannem a Deo mundi conditore missum esse probat. Fuit homo missus a Deo, erat ei nomen Ioannes: hic venit in testimonium, ut testaretur de lumine. Præcursor igitur Ioannes, qui testatur de lumine, a quo Deo missus est: vique ab eo (cuius) Gabriel est Angelus, qui etiam euangelizauit generationem eius, qui & per Prophetas promissit angelum suum missurum ante faciem Filii sui, & preparaturum viam eius. hoc est, testificaturum de lumine, in spiritu & virtute Helia. Helias autem rursus eius Dei seruus & propheta fuit? eius qui fuit cælum & terram, quem admodum & ipse confitetur. a conditore igitur, & fabricatore huius mundi missus Ioannes, quem admodum poterat testificari de eo lumine, quod ex his que sunt innotuabilis & inuisibilis descendit: Omnes enim hæretici decreuerunt, Demurgum ignorare eam que sit super eam virtutem, cuius testis & ostensor inuenitur Ioannes.

VERSVS 7.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

QUESTIO I.

Cur venit?

§. 1. Finem ponit remotum & proximum. Remotus est, ut omnes crederent per illum. Proximus, Ioannes in testimonium dicit, ne quis eum lucem esse debeat. putaret: nec enim redemptor mundi, sed testis creatoris est constitutus.

§. 2. Ut omnes crederent: finis enim testimonii est fides, non scientia. Non enim philosophiam, aliasque scientias tradere, sed fide illustrare mundum Deus per suos voluit.

§. 3. Omnium nomine, quidam intelligunt Iudeos, sed auditores tantum. Alij omnes homines, etiam gentes omnium & posteros interpretantur. Nam ad omnes illo testimonium Ioannis manauit, & omnes saluos fieri voluit.

§. 4. Quod vero per illum dicitur si dicitur, Caluianus interpretatus est si dicitur, quasi per lucem credere dicatur, non per Ioannem. Cæteri consensu de Ioanne interpretantur. Syrus habet loco omnes omnis homo. & deinde, crederent per illum ܐܘܪܝܘܬܐܐܘܪ, per manum eius, hoc est operâ & præconio Ioannis, non autem per manum lucis. Retinenda itaque est communitas interpretatio: quam etiam Bullingerus homo hæreticus sequitur, addita causa illa, quod nemo Ecclesiasticorum scriptorum aliter intellexerit. Quod si in cæteris obseruarent, non turbaretur tot nouitatis interpretationibus Ecclesiæ. Non solet autem scriptura dicere nos per Christum credere, sed in Christum.

§. 5. Lux non egetbat alieno testimonio, sed splendore in se præsentiam satis testabatur. verum infirmis animis, & ad insuetam claritatem stupentibus, opus fuit inductione testimonii. Testimonium tamen Christi aduentus in carne passibili requirebat, & ut per Prophetam certum & magnum scripturæ in fallibili

ADAMI
112
+ EUANGELIUM
CUI

VERSVS 8.

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

QVÆSTIO I.

Cur Ioannem dicat non fuisse lucem?

§. 1. Idæos cogitasse de Ioanne, an ipse Christus esset, ex legatione eorum est manifestum. Opinionem illam abolere Ioannes voluit, cum tantum lucernam, non solem, non lucē illam primogeniam, & æternam fuisse docet. Fideles omnes lux vocantur, Eph. 5. 8. Vos omnes lux in Domino: impii è contrario tenebræ: Apostoli vero & doctores singulari prerogatiuâ lux appellantur, quia orbi salutatis doctrinæ facem circumferunt.

Ne Christus videretur, monet lucem non fuisse.

Ioannes lux erat inter doctores primaria, sed ex primâ luce procedens. Quoniam autem crebro contingere solet, vt maior ille sit, qui testatur, quam cui testimonium perhibetur, vt monet hoc loco Chrysofom. & ex eo Theophylact. id omnino tollere nititur, ne Ioanni testi plus auctoritatis tribuant, quam Christo. Lux erat, sed non à se, sed à Christo lucebat, nec stella matutina ideo sole fulgentior est, quia ortus securus est indicium, omne enim lumen à sole mutuatur, & eius prima virtus est non vt mundum illuminet, sed vt de sole testetur. Addendum autem est ex antecedentibus: venit aut missus, vt sic sensus: integretur: Non erat ille lux, sed venit vt testimonium perhiberet de luce.

§. 2. Brentius hoc loco contra Sanctorum inuocationem abutitur. [Cæterum, ex hoc loco discendus est verus vsus Sanctorum, ne de ipsis plus quam par est sentiamus. Et si enim Apostoli dicuntur alii, Lux mundi, & Ioannes, Lucerna ardens, adeoq; oēs in Christum credentes vocantur Luminaria. Lucete inquit tanquam luminaria in mundo. Et lux estis in Domino, tamen ex hoc loco interpretandum est, qd Sancti non sint vera lux, nec sit ipsis tribuenda maiestas Messie, sed quod tantū sint indices, & testes veræ lucis, ac ministri & doctores veri Messie. Nā, si de Baptista, quo tamen non est maior exortus inter natos mulierum, scriptum est. Non erat ille lux, sed missus est vt testaretur de luce, & vt oēs crederent per ipsum, hoc est, vt testimonio eius excitati, fidem Christo adhiberēt, multo magis de aliis Sanctis sentiendum est, quod non sint vera lux, nec transferendum sit in ipsos proprium officium, & maiestas veri Messie. Maiestas autem Messie, quod sit patronus noster coram Deo, quod sit reconciliator noster, quod sit seruator in morte, adeoq; adiutor in summis dolorum inferni necessitatibus. Nullus igitur Sanctorum inuocandus est, vt patronus, vt reconciliator vt seruator & adiutor in morte, sed quicquid hoc est bonorum, à solo Iesu vera luce & Messia expectandum est.]

Brentii delirium.

Sancti non sunt Christus.

Respondet: Verba Euangelistæ vel mediocriter perpendenti, aliud potius ostendere. Non sunt Sancti lux, nec illis maiestas Messie tribui debet. Lux tamen crebro dicitur, vt ostēdi, ex quo apparet, cum dicitur: Non erat ille lux, tantum de luce increatâ, fonte omnis illuminationis intelligi, nec inde concludi, non esse Ioannem lucem, cum Apostoli sint lux mundi, & Ioannes fulgentior erat Apostolis. Quod si igitur & Deo & creaturis conueniat, vt lux dicantur, nec obstat, quod alibi alio sensu lux esse negentur, alia quoq; cōmunia esse possunt. Christus lux est increata, Ioannes non est lux in creata, sed lux tamen creata, & æternæ lucis ministra. Ita Christus Patronus, reconciliator, seruator, adiutor, æterna, increata, inde.

Christus lux prima genia, Sancti secundaria.

billi, auctoritate explicarentur. Augustinus tractat. 33. in Ioannem. Homo venit contemnendus & honorandus, venit negandus & consistendus: contemnendus & negandus à Iudæis, honorandus & consistendus à nobis: indicandus iustus, indicaturus iniustus. Talis ergo venit, vt oporteret ei lucernam testimonium perhibere. Nunquid opus erat, vt Ioannes tanquam lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostrâ posset videri? Sed non poteramus. Infirmitas factus est infirmus, per infirmitatem sanauit infirmitatem: per mortalem carnem carnis abstulit mortem: de corpore suo collyrium fecit luminibus nostris. Quia ergo Dominus venit, & in nocte sæculi adhuc sumus, oportet vt & prophetas audiamus: nam de prophetia conuincimus contradicentes Paganos. Quis est Christus? dicit Paganus. Cui respondemus: Quem pronunciauerunt propheta. Et ille: Quis Propheta? Responsum Isaiam, Danielen, Hieremiam, alios sanctos Prophetas: dicimus quam longe ante illum ueneris, quanto tempore aduentum eius præcesseris. Hoc ergo respondemus: Præuenerunt eum Propheta, prædixerunt eum esse venturum.

Itaq; dicendum est, Ioannis testimonium non id eo necessarium, quasi Christi opera non sufficientissima fuerint: Lucerna enim opus non erat, vt sol, aut dies videretur. Cyrillus libro 2. in Ioannem cap. 14. Chrysof. homil. 5. eo sensu affirmant, non fuisse opus vilius hominis testimonio. Sed vt omnibus modis etiam initiis Christi præspectum esset, testem Deus præmiserit. Deniq; Prophetæ prædixerunt, itaq; impleti oracula oportuit.

QVÆSTIO II.

An omnes Ioanni credere tenerentur?

§. 1. Tantam fuisse in hoc teste grauitatem atq; auctoritatem, vt sine reprehensione & suspicionē leuitatis credere Iudæi prophetanti possent, non est dubium. Illud magis controuertitur. An peccarint illi qui non crediderunt. Excusare nonnulli Iudæos conantur. Quamuis enim in Ioanne erat summa rerum diuinarum scientia: deinde in testimonio ferendo religio ac sanctitas, & prima apud gentem Iudæorum auctoritas, probabile tamen eius testimonium hæc faciebant, non necessarium, quo ad testimonio credendum cogentur. Quomodo enim singulis cōstare de tantâ cognitione rerum cælestium potuit, aut sanctitate? cum solus Deus sit verus, omnis autem homo mendax? Hoc verò maiore verisimilitudine dicitur, quod Ioannes signum nullum fecit, quo doctrinam suam firmaret.

§. 2. Primo quidem testimonium Ioannis tale erat, vt esset euidenter credibile: Itaq; prudentiæ regulam secuti credere poterant, & tantæ auctoritati non cedere erat petuicacia. Cum enim tantâ sanctitate præfulgeret, vt Christus ipse putaretur, non erat causa, cur de Christo testificanti fides non haberetur. Non poterat suspectum esse testimonium eius, qui nullum mentiendi sperare præmium potuit, qui pro veritate mortuus est.

Deinde quemadmodum Apostoli & Prophetæ à Deo ita missi sunt, vt credere & parere illis esset necesse; talia enim habebant indicia suæ missionis, vt sine scelere resisti illis non posset: ita Ioannes quoq; sui Apostolatus infallibilia signa habuit, non modo probabilia ex vitæ sanctitate: sed firma ex Prophetis, & ortu, & miraculis, tum factis: ita vt Ioannes à primo conceptu perpetuum miraculum fuerit. Quocirca potius monendi fuerunt, ipsum non fuisse lucem, ne pro Christo coleretur, quam excitandi, vt illi crederent.